



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

F. Minitius Calvus Andreæ Alciato Jureconsulto Salutem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

F. MINITIUS CALVUS
ANDREÆ ALCIATO
JURECONSULTO
SALUTEM.

Scripsisti nuper ad me, vir Clariss. ut te de Italorum omnium studiis & lucubrationibus, quot & quantumque essent, certiores redderem, de divinis humanisque rebus, quae gererentur, de publicis privatisque negotiis, etiam quae nihil ad te attinerent, quam diligentissime perscriberem. Faciam id, quod jubes, quia nihil aequè charum est mihi, quam Alciato viro undecumque doctiss. gratificari. Habebis igitur quotidie à me literas, quae te de omnibus, quae scire cupis, admonent. Quod vero pertinet ad studiosorum lucubrationes, mitto nunc ad te Pierii Valeriani amici nostri pro Sacerdotum Barbis defensionem, quam spero & ingenio & eruditione tua non indignam. Utinam vere & quae in PANDECTARUM CASTIGATIONES ex antiquis codicibus elucubravit, de sacris quoque Aegyptiorum literis commentaria, Elegias amatorias, Hymnos aliquot, & pleraque alia mittere potuissem, ut quantum is pro studiosorum utilitate laboraverit, inspiceres, hominemque magis ac magis tibi susciperes diligendum. Hujus vero editionis ego auctor fui, qui sciebam adhuc biennium priorem in hanc materiam ejus apparatus quemdam in manus hominum (auctore inscio) prodisse, & in exemplaria multa jam descriptum, ubi multa essent, quae Pierius non sustulisset, immutasset, & castigatiora reddidisset. Quasi quis imprimenda curavit, non parvam offensionem auctori fecerit. Ut quae nec Clementi VII Pontifici ingrata non fuere. Tu vero leges defensionem hanc, & intra paucissimos dies, ab eodem longe uberiora alia, quae cito publicabuntur, expectabis. Vale